

impedire unquam cogitassent.¹⁴ Erant quippe multorum animi adeo commoti atque irritati, ut Lainii verbis eum sensum tribuerent, quo putaret, totum reformationis negotium esse a concilio avocandum atque ad unum papam referendum. Verum non adeo ignoravit scopum concilii, quemadmodum et alia ejus dicta ac facta testantur. Sed vel ipsa Palaeotti de ejus oratione relatio², utut leviter exarata, ostendit, id tantum egisse Lainium, ut solius capituli reformatio uni papae reservaretur. Lainio non potest crimini dari, quod, teste Palaeotto, „multorum ea res odium auerat, insanaque consilia auxerat.“ Quicumque certis principiis nixus effrenatae partis alicujus licentiae fortiter se opponit, talia experietur.

7. De exitu, quem eadem controversia in sessione XXIII. anno 1563 sortita est, et de ultima sententia a Lainio dicta.

Die 15. Junii tandem statutum fuit, ut sollemnis sessio die 15. Julii certo celebraretur, quum antea non minus sexies jam fuisset dilata, scilicet die 9. Novembris ad 25., inde vero, in variis congregationibus, ad 17. Decembris, ad 15. Januarii, ad 4. Februarii, ad 22. Aprilis. Neque tamen id aliter obtineri potuit, quam ut ex communi omnium consensu cuncta silentio praetermitterentur, quae non sine „longis ac periculosis disputationibus“³ attingi poterant. Quod silentium profecto necessarium vi-

lando a certo suo proposito strascinato per forza sopra il decreto della residenza già pubblicato nella sessione passata; perchè disse, che da quello non era anco definito, che la residenza de' pastori fosse de jure divino, conciosiachè quella parola assistere non significa esser presente, ma favorire, difendere et prestare ajuto, di maniera che ogn' uno poteva tenere di questo articolo, come prima, quello che gli è piaciuto. Il che quand' anche fosse vero, pare strano, che questo buon padre senza alcuna necessità habbia voluto movere questa materia, che non può esser causa se non di cattivi effetti.“ . . .

¹ Apud Theiner II, 661.

² Ibid. p. 660.

³ Palaeottus apud Theiner II, 616.

deri debuit, quum non deessent, qui in schismaticas exclamationes erumperent, ut, quum cardinalis Lotharingius per occasionem controversiae de praeeminentiis et praecedentiis propter incensationem oratorum gravem iram suam effunderet.

Decretum de residentia a congregatione d. 9. Julii ea forma acceptabatur, qua et in publica sessione probatum est, omisso nimirum termino *juris divini*.

Errarunt, qui postea docuerunt, decretum potius favere praecepto residentiae, quod immediate divinum et non mere ecclesiasticum esset.¹

Ista jam sub cardinali Moronio acta.

Joannes Moronius, qui defuncto cardinali Mantuano in supremo praesidio concilii successerat, ex aula caesarea Oeniponte reversus, summo studio in id incumbabat, ut controversiae de divina institutione episcoporum circa doctrinam ac canones simili modo amice componerentur, opera ea in re usus episcopi Mutinensis, Aegidii Foscararii, ord. Praed., hominis Gallis Hispanisque accepti. Consentientibus eorundem oratoribus Foscararius ante omnia novum schema concepit pro capite 5. doctrinae de ordine, usus his terminis „episcopos, sedis apostolicae auctoritate . . . assumptos, a Christo institutos esse“, et pluribus aliis vocabulis, quae Hispanis ac Gallis multo magis, quam alteri parti placere praevidebantur.² Novum hoc schema in propria deputatione ad examen vocatum est d. 11. Junii.

¹ In congregatione Lainius decretum probavit hac facta animadversione, „eam quaestionem generatim silentio prorsus fuisse omittendam; quum autem tacta esset, recte censuisse synodum, non esse eam in praesenti definiendam, ne bona pars catholicorum erroris argueretur; ideoque se laudare decretum ita dispositum, ut ejus verba pie satis in utramque partem possint exponi.“ (Palaeottus apud Theiner II, 640.) Subdit idem Palaeottus, placuisse ut hoc ipsum decretum non inter fidei dogmata, sed inter ea quae ad morum disciplinam pertinent, collocaretur, „quatenus hinc etiam omnibus manifestum relinqueretur, nihil in hac quaestione quod jus divinum attingeret, synodum sancire aut definire voluisse.“

² Textus apud Palaeottum 617.

Adhibiti a legatis in consilium leguntur episcopi Caputaquensis, Rossanensis, Justinopolitanus, Mutinensis ipse, Vestanus et Neocastrensis, auditor Palaeottus, advocatus et promotor concilii ac denique Lainius cum suo sodali Alphonso Salmerone, theologo pontificio. Ex omnibus Palaeottus solus schema defendit, Mutinensis sententiam ipsis ejus rationibus secutus; caeteri omnes illud nimis eorum sententiae favere judicarunt, qui jus divinum tuebantur. Ex epistola archiepiscopi Jadrensis, Calini, discimus, prae caeteris canonistas omnes una et mente et voce in rejiciendo schemate consensisse, ea in re a Lainio adjutos ac confirmatos.¹ Lainio quippe haec verba „a Christo institutos“ in contextu proposito adhuc nimis determinate significare videbantur, jurisdictionem episcoporum immediate a Christo descendere.

Novam, sed parum tantum immutatam, formulam schematis legati pro consultatione jam miserant Romam die 19. Junii, quum tandem, litem super fundamento hujus capituli sedari non posse perspicientes, statuerunt, argumentum, quod tantae erat offensionis, a disputatione seponere ac simul omnia removere, quae hucusque obstiterant, quominus consensus obtineretur; capto scilicet consilio, ut tam in doctrina quam in canonibus de sola potestate ordinis, non autem de jurisdictione ageretur.

Quod idem antea jam a Lainio fuisse propositum, hoc loco meminisse juverit.

¹ „Ci sono poi anco molti de' nostri canonisti, i quali con l' ajuto del padre Lainez stanno fermi in questa opinione, che non si possa dire episcopos sanctae Romanae sedis apostolica auctoritate assumptos a Christo institutos esse, se non s' intenda la giurisdizione essere data loro da Dio.“ Cod. Trid. 145 Fol. 78. — Palaeottus ait l. c.: „Dicebant aliquid, id verbum *episcopos* esse concretum complectique ordinem et jurisdictionem, hincque sequi, jurisdictionem episcoporum derivari a Christo, praesertim quod in doctrina fiebat mentio de jurisdictione in verbo *obedientia* et ibi: pascendi potestatem habere in ecclesiis sibi commissis; quod dicebant intelligendum a Christo, quoniam, si acciperetur de papa, esset indubitatum.“ Ex disputationibus multa affert Palaeottus, quae sub respectu dogmatico-canonico sunt consideratione dignissima, in id etiam intentus, ut votum suum affirmans circa Foscararii schema tanquam sententiam magnopere commendandam ostendat.

In novum illud schema, quod die 3. Julii erat distributum, inquiri coeptum est die 6. in 40 circiter praelatorum deputatione, in qua Lainius denuo comparet. In unum erant contracta capita 4 et 5 ea ferme ratione, qua nunc in decretis Tridentinis habemus. In eo schema convenit cum decreto postea edito, quod solam doctrinam de hierarchia contineret. Episcopos, ut praecipua ejus membra, in prima linea ponebat, enumeratis etiam functionibus eorum potestati ordinis propriis. Tres canones, de quibus tamdiu fuerat in utramque partem disputatum, modo ita se habebant:

Can. 6. Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam, quae constat ex episcopis, presbyteris et aliis ministris, a. s.

Can. 7. Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem ordinandi, vel eam quam habent illis esse cum presbyteris communem, vel ordines ab ipsis collatos sine plebis vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse, aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati vel missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, a. s.

Can. 8. Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani pontificis assumuntur, non esse legitimos ac veros episcopos sed figmentum humanum, a. s.

In hac sessione deputationis, diei 6. Julii tandem aliquid spei conciliandae concordiae illuxit. Hispani tamen cum Cardinali Guisio instabant, ut in canone 6. vocabulo *hierarchiam* adderentur verba *institutam a Christo*; alii contra postulabant, ut primatus praefigeretur formulae de hierarchia. Lainium alteri huic postulato accessisse non invenimus; verum manuscriptum ejus votum possidemus, quo parti hispano-gallicanae alia via obsistit.¹

Soluta scilicet deputationis sessione legati verba *institutam a Christo* canoni 6. tentandi causa inseruisse videntur; quod additamentum eo in voto impugnat. Vehementissimis eorum contentioneibus, qui jus divinum urgebant, graviter commotus, id eisdem concedi posse non judicavit, saltem eo tempore quo hoc votum exaravit. Plane

¹ Hoc votum infra pp. 385—391 impressum exstat. Nota ibidem p. 385 adjecta emendanda est juxta ea, quae pag. 106* habentur.

ac diserte monet, termino *hierarchiae* notionem jurisdictionis necessario conjungi; satius proinde esse, ut a memoranda institutione hujus hierarchiae absterneatur, quam ut per tale additamentum oppugnatoribus traditae doctrinae ansa praebeatur opinionis suae ulterius defendendae. — Neque tamen erat, cur ansa ista adeo timeretur; auctior formula enim proprie nihil aliud circa jurisdictionem continebat, quam quod episcopatus qua talis, seu ipse ordo episcopalis, a Christo sit institutus, quodque ex jure divino in ecclesia semper esse deberent personae ordine ac jurisdictione episcopali insignes. Quam veritatem Lainius ipse frequenter in orationibus conciliaribus atque in Disputatione proposuit. Quod igitur ab adhibendis vocabulis *institutam a Christo* in hoc voto dehortaretur, id ex solo metu venisse patet, ne iis abuterentur adversarii.

Tunc legati, ex parte sua adversarios omnibus officiis complexuri eorumque voluntati, quantum salvo munere possent, obsecuturi, sententiam ita conformandam censuerunt, ut dicerent hierarchiam *divina ordinatione institutam*. Qua in conformatione tres canones 6., 7. et 8. cum doctrina in congregatione generali diei 9. Julii fere unanimiter approbati sunt.¹

Iis Lainius quoque suffragatus esse videtur², relictis difficultatibus ante motis, quamquam terminus *divina ordinatione* vix differret ab alio *institutam a Christo*.

Rationes, quibus ad mutandam sententiam motus sit, nullibi quidem reperimus litteris consignatas; conjicere tamen possumus, has aut similes considerationes eidem fuisse ob oculos versatas: Etiam si nulla omnino mentio divinae institutionis sive ordinationis feret, ea institutio et ordinatio nihilominus contenta jam reperitur in reliqua canonis doctrina; si enim tanquam dogma fidei credendum proponitur, in ecclesia catholica esse hierarchiam, quae constet ex episcopis, presbyteris et aliis ministris, eo ipso etiam asseritur, eandem hanc hierarchiam ex volun-

¹ Cfr. Theiner II, 302.

² Solos canones de abusibus in aliud tempus dilatos voluit. Theiner II, 309.

tate Christi, institutoris ecclesiae, provenire, quum ejusmodi institutio permanens, quae semper ut dogma fidei teneri debeat, non possit nisi a Christo descendere. Accedit eo, quod Lainius omnem perversam Hispanorum et Gallicanorum interpretationem additamenti *divina ordinatione institutam* ex eo sufficienter exclusam viderit, quod omni notorietate tum juris tum facti manifestum coram ecclesia esset, concilium noluisse quidpiam circa controversiam de divino jure singulorum episcoporum definire.

Tandem etiam perspectum eidem esse debuit, in forma canonis 6., quae demum in sessione solemni acceptabatur¹, vel ideo non innui jurisdictionem singulis episcopis a Christo attributam, quia verba ejusdem, prouti jacent, vix ad jurisdictionem generatim signandam deflecti queunt; nam si in eo canone de jurisdictionis, et non de ordinis potestate ageretur, primo loco, adversariis aperte fatentibus, deberet nominari Romanus pontifex, de quo tamen ibidem omnino taceretur.

Sapienter itaque decrevit Lainius, ab ulteriore impugnatione formulae propositae abstinere, quamvis ea sibi fortassis non plane satisfaciebat. Propter bonum pacis atque ut tandem aliquando finis obtineretur controversiae, iis, qui alias secum sentiebant plurimis, sese accommodavit, dum etiam ipsi in fine non amplius vocum illarum abusum ab adversariis timebant, antea quidem juste impleti timore atque suspicionibus.

Sed adhuc ultima periculi procella legis erat ex parte Hispanorum; postero die enim, ut vocabula *institutam a Christo* sibi restituerentur, per oratores Philippi regis enixe postulabant; nec nisi summa virium contentione obtineri ab iisdem poterat, ut pridie sessionis publicae reliquis patribus accederent; neque tunc deerant ex ipsis, qui communem aliorum sententiam tantum sequi se posse dicerent sub spe futurae declarationis, quod nimirum con-

¹ „Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris, a. s.“

cilium postea ipsorum doctrinam de divino jure singulorum episcoporum esset comprobaturum.

Sic igitur omnibus difficultatibus discordiisque feliciter sedatis, praeter alias et istae sanctiones de sacramento ordinis in publica sessione XXIII. diei 15. Julii 1563 solemniter publicari potuerunt.

Notum est, elapsis temporibus, ubi studium theologiae dogmaticae neglectum jacebat, non defuisse ex theologis, qui, controversiam eminens contemplando, leviter judicarent, de verbis dumtaxat certatum fuisse Tridenti. Quod iudicium, ut mitius loquamur, minus rectum esse ea ostendunt, quae de longis disputationibus hucusque diximus. Neque sane de mero verbo contendebatur in concilio, sed de gravissimo argumento agebatur, ex quo plures aliae quaestiones necessario erant consecuturæ. Lis de verbis *divini et juris divini* tantundem valebat quantum controversia, utrum visibile caput ecclesiae ita omnem jurisdictionem ecclesiasticam a Christo accepisset, ut caeteri episcopi, qui praeter eum jurisdictionem habent, eam sibi a capite communicatam, an vero immediate a Christo collatam possiderent.

Quemadmodum tunc quaestio in se spectata jam dudum erat per ecclesiae praxim affirmative soluta, ita ex eo tempore haec eadem ejus solutio et theoretice et practice reperitur confirmata.

Gallicani maxime se duci sinebant nota illa, quae eorundem animos ante jam ceperat, opinione, episcopos in concilio congregatos esse supra papam.

Hispani falsae Francisci Victoriae sententiae innitebantur, jurisdictionem episcopalem per se adeo esse a papali independentem, ut sine ulla confirmatione papali episcopi cum vera potestate jurisdictionis esse possint.

Utraque propositio in praesenti deserta ac derelicta jacet, atque inde doctrinae a Lainio propugnatae plurimum splendoris accessit, quamvis auctoritatem definiti dogmatis nondum attigerit.

8. De epistolis legatorum concilii in appendice editis.

Ad cognoscendas res in concilio eo tempore gestas, quo Lainius celebrem Disputationem suam calamo expressit, non potest non plurimum conferre epistolarum s. Caroli Borromaei et legatorum concilii attentata lectio. Legatis siquidem onus incumberebat, ut de omni eventu momenti alicujus sanctam sedem illico certiore facerent, quo melius per ipsum pontificem, cujus locum legati tanquam ministri obtinebant, omnia dirigi atque ad felicem exitum perduci possent. Hinc creberrimae ad eosdem legatos instructiones Roma emanabant, hincque inter membra, i. e. concilium, et caput ea unitas conservabatur, ex qua tandem aliquando, concilio feliciter absoluto, fructus praeclari reformationis ecclesiasticae nascebantur.

Legati quinque pro ista ultima periodo concilii, de qua agimus a Pio IV. nominati erant; nempe ut primus praesidens Hercules Gonzaga Mantuanus, presbyter cardinalis tituli s. Mariae Novae, Mantuanae sedis administrator, qui ut vidimus p. 84* Tridenti mortuus est; is nobilissimo genere, singulari ingenio et summa in rebus tractandis experientia commendabatur; deinde Hieronymus Seripandus Neapolitanus, presbyter cardinalis tituli s. Susannae, antea generalis praepositus ordinis eremitarum s. Augustini, archiepiscopus Salernitanus, vir scientia theologica inprimis eminens; hic etiam Tridenti e vivis sublatus est die 17. Martii 1563; Stanislaus Hosius Polonus, presbyter cardinalis tituli s. Laurentii in Pane et Perna, episcopus Varmiensis, operibus contra haereticos editis celebris atque in protestantium libris versatissimus; Ludovicus Simonetta Mediolanensis, presbyter cardinalis tituli s. Cyriaci, episcopus Pisarenis, quum variis praeclaris dotibus animi tum prudentia et sagacitate eximia in negotiis politicis et ecclesiasticis ornatus; denique Marcus Siticus Altemps Germanus, diaconus cardinalis tituli duodecim Apostolorum, episcopus Constantiensis, quem magis familiaritas cum imperatore huic loco idoneum red-